



Venatio Sacra. Sive Puer Amissus

Cabilliau, Baudouin

Lovany, 1642

Elegia XIII. B. Virgo Gabrielem inuocat, vt quem sibi nasciturum
annunciauit, iam natum indicet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70011](#)

ELEGIA XIII.

B. Virgo Gabrielem inuocat, vt quem
sibi nasciturum annunciauit,
iam natum indicet.

Consului cœlum; nusquam vox nuncia cœlo
Appulit, vt Bethlæ nox vbi festa canit.
O nimis iniustes (audebo dicere ?) cœlos
Qui Domino & Dominæ munia iusta negant.
Quid nisi cœlestes Verbo de cœlito voces,
Hauriat hic bruto terra sepulta mari.
Huc vt ab astrigeris Sapientia denolat oris,
Astrigero & tellus discat ab orbe Deum.
Facta placent, facienda peto solatia Diuūm,
Nunc opus his, illis iam prius usus erat.
Sed quia nunc cœlum silet, o pius aduena cœlo,
Adserat hoc saltē, cœca quod opto, iubar.
O vbi nunc prius ille celerrimus auspice Verbo ?
Numinis interpres sic mihi lentus abes ?
Suggere lucis iter, quali Nasareius hortus
Claruit & Bethle: suggere lucis iter.
Aliger o Verbi sacer obses, an altera rursus
Nuncia, quæ tuleras læta, referre piget ?
Ad tua verba puer si se se hæc clausit in aluo,
His oculis saltē tu modo pande viam.
Nuncia vel blandis aurem, vox imbuat auris,
Ve prior, hic vocis dulcis & usus erit.
Non nisi gignendum vox prima spopondit alumnum;
At genitum blando postera reddet aue.
Immemor ergo pię Gabriel sic ipse parentis,
Ut quod sepe dedit, non semel addat aue ?
Et quantum fuerit nunc vna vel altera matri,
Si nota reddat aue, quo sit habenda salus .
Omina Noçæ si pacis amæna carinę (a)
Chaonis ab siccâ detulit ales humo :
Naufragaque in lætam sese induit arbor̄ oliuam,
Et victrice stecit pulchra carina rati.

Quid

Quid vetat & mestæ quis ut adferat alba parenti
Signa, reuersuris nuncia signa Dei.

Tuque adeò primus, cuius de voce salutis
Fons ijt: huic simili nunc pede riuus eat:

Euge, quid ô tardas i signo celer indice IESVM
Adfere, & adsero Numine mater ero.

Mater ero fælix. Gabriel dabis inde parenti,
Ut propè concipiatur bis paritura Deum.

(a) *Columba emissa ab Noe post diluvium olinq;
ramum reculit ad arcam, signum pacis diuinæ.*

ELEGIA XIV.

B. Virgo in fonte, quem suis è lacrymis
conflat, pueri sui effigiem
credit exprimi.

1. *Varia B. Virginis ratiocinatio & gemitus.*
2. *Eius densis è lacrymis fons parvus coit in gressu;*
sive amoris sui speculum.
3. *In eo pueri sui effigiem speculatur.*
4. *Inuitat forte obuium viatorem, ut puerum
hic contempletur.*

V Ora patens Solymas solennia reddit ad aras.
Atque adolet putis thurea dona focis.
Matris at ab dextrâ furtim puer abstitit. errat?
Errat agris? Solymâ quâ latet, vrbe stetit.
Non itidem mater, modò quæ secura pericli,
Nescia iam dubio puluere flectit iter.
Vestigarque suos procul anxia mater amores,
Sive larebra regit, seu sola nuda tenent.
O quoties Zephyris sua vota renarrat, & astris;
Et lacrymas, pluviæ quæ vice nubis eunt.
O quoties gemit ah! (quod suspicor.) inclyra matris
Præmia fors tellus, fors san Olympus habet,

Hæc